

lis, etc. nam littera optime construi potest dicendo : Benedixit dicens : Hoc est corpus meum, ly vero fregit, ac dedit intelliguntur interposita, et quasi inter parenthesim, faciuntque hunc sensum, dum frangeret, et daret, benedixit dicendo : Hoc est corpus meum. Certe in Marco necessario debemus aliqua per anticipationem explicare cum dicit : *Et accepto calice gratias agens dedit eis, et biberunt ex eo omnes, et ait illis : Hic est sanguis meus, etc.* Ubi manifeste ponitur, quod biberunt, et postea narrantur verba consecrationis, quod stare non potest nisi loquendo per anticipationem, alias si bibissent ante consecrationem, bibissent ex calice non consecrato. Quid ergo prohibet similiter intelligere anticipative benedictionem, quod licet interponatur ly fregit et dedit, tamen benedictio coniungi debeat cum ly dicens : Hoc est corpus meum et ita illa benedictio sit consecrativa?

Quod vero opposita sententia nihil momenti in contrarium afferat, constabit ex solutione eorum quæ obijcit. Primum quia Concilium Tridentinum, sess. XIII, c. I, dicit : « Hoc Sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse cum post panis, vini que benedictionem se suum corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis verbis testatus est. » Sed verba quibus testatus est se illi dare suum corpus, sunt verba quibus fit consecratio, ergo si post benedictionem, illa dixit, benedictio illa non fuit consecratio. Respondetur, quod stando in præcisa constructione grammaticali, duplicem sensum possunt facere illa verba. Primo sic, quod ly post benedictionem referatur, et construatur cum ly testatus et tunc est sensus, prius dedit benedictionem, et post illam testatus est se dare corpus suum. Et in hoc sensu

procedit objectio. Secundo, quod ly post benedictionem referatur, et construatur cum ly corpus suum, et tunc facit sensum quod testatus est illis dare corpus suum, id est, id quod post benedictionem, seu consecrationem est corpus suum. Et in hoc sensu procedit objectio. Secundo, quod ly post benedictionem referatur, et construatur cum ly corpus suum, et tunc facit sensum quod testatus est illis dare corpus suum, id est, id quod post benedictionem, seu consecrationem est corpus suum. Et in hoc sensu benedictio et consecratio, et hunc sensum nos accipimus, qui etiam legitimus est, sicut si quis diceret : Post baptismum regeneratus homo accipit characterem, et fidem, sensus enim est, quod regeneratus post baptismum, seu per ipsum baptismum, et non ante, accipit fidem, etc. sic testatus est Christus se dare illis corpus post benedictionem, id est, id quod corpus suum est post benedictionem, et non ante.

Secundo, arguitur quia Christus prius benedixit, quam fregit, ut verba evangelistarum manifestant, sed non consecravit nisi post fractionem ne particulæ per fractionem caderent, ergo a fortiori quando benedixit nondum consecravit, si quidem quando benedixit nondum fregit. Hoc etiam consentaneum est verbis Scripturæ, quæ hoc ordine narrant rem gestam, nec est ibi aliqua figura, vel necessitas intelligendi per anticipationem : præsertim quia consentaneum erat, ut Christus aliqua oratione præparasset discipulorum animos ad talem consecrationem, et mysterium, et aliquam invocationem faceret super panem, sicut fecit quando Lazarum suscitavit, ergo conveniens erat talem benedictionem non consecrativam præmittere.

Respondetur nullo sufficienti fun-

damento dici posse, quod Christus prius fregit, quam consecravit. Nec illud de periculo particularum quidquam obest, tum quia modo sine tali periculo sacerdos frangit hostiam post consecrationem, quanto magis Christus, qui summa advertentia, et omnipotentia rem illam peragebat; tum quia a tempore Apostolorum semper videtur hoc fuisse in usu, ut panis jam consecratus frangeretur, unde dicit Apostolus, I ad Corinth. X : *Panis quem frangimus nonne participatio corporis Christi est ?* Et Act. II : *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis.* Et infra : *Frangentes circa domos panem sumebant cibum, etc.* Et ipse Dominus in Emmaus, ut dicitur Lucæ XXIV : *Accipit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis.* Ubi secundum expositionem valde communem dedit illis corpus suum, quod significat Theophylactus super eundem locum : « Quia sumentibus, inquit, sacrum panem aperiuntur oculi ut eum agnoscant, magnam enim vim habebat Domini caro. » Sic ergo Dominus tunc prius benedixit, quam fregit, nec alio modo consecravit, quam illa benedictione, ergo similiter in die cœnæ consecravit benedictione. Imo ex hoc roboratur nostra sententia, quia non solet frangi hostia nisi post consecrationem, ergo neque verisimile est Christum aliter fecisse, sed ante fractionem præcessit benedictio ut dicunt evangelistæ : Benedixit, ac fregit, ergo illa benedictio fuit consecratio, alias frangeret ante consecrationem. Quod vero dicitur debuisse Christum præparare animos discipulorum, et invocare Patrem aliqua oratione, respondeamus, præparasse quidem tum loquendo de institutione Sacramenti cum dixit : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, etc.* tum eorum pedes lavando, et dispo-

nendo ad tanti mysterii perceptionem, tum ad Patrem elevando oculos sicut in canone missæ dicit Ecclesia, tum etiam gratias agendo, ut evangelistæ narrant; non tamen requiritur, quod præter omnia ista, benedictionem aliquam non consecrativam super panem protulerit. Elevatio quippe oculorum, et gratiarum actio ad potestatem respiciebat, pro cuius tunc exercitio ita arduo, et excelso ad Deum se convertebat, benedictio vero solum respiciebat materiam consecrandam, quæ sufficienter ipsa consecratione respiciebatur, quæ etiam erat benedictio.

NONA PROPOSITIO : EPISCOPATUS NON EST SACRAMENTUM.

Antiqua est ista quæstio, et valde agitata præsertim inter theologos, et canonistas, et utraque opinio habet pro se graves auctores, qui sine ulla censura de alterutra opinione tractant. Navarrus, in manuali, c. XXII, num. XVIII, dicit canonistas existimare, quod dantur novem ordines, theologi vero quod septem, eo quod canonistæ etiam inter ordines numerant primam tonsuram, et episcopatum, in c. Cum contingat, de ætate, et qualitate et in c. Cleros, XXI distinctione : theologi vero numerant septem, excludunt enim primam tonsuram, quia non est gradus, seu ordo, sed dispositio ad ordines, episcopatum vero, quia solum est dignitas quædam, et extensio sacerdotii, non Sacramentum ipsum sacerdotii, seu ordinis. Et ita sentit Magister in IV distinctione. XXIV, numerans solum septem ordines, episcopatum vero non ad ordinem, sed ad dignitatem, officiumque reducit. Atque ita sequuntur sentiuntque gravissimi auctores, qui episcopatum solum dicunt esse potestatem, dignitatemque consum-



mativam sacerdotii, non Sacramentum ordinis, Div. Thomas, in iv distinction. xxiv, quæstione iii, art. ii, quæst. ii; Richardus ibidem, art. v, q. ii; Albertus ibi, artic. xxxix; Bonaventura, in ii p. illius distinctionis, art. ii, quæst. xxiii, Scotus, quæst. i, §. De secundo art. licet non rejiciat; Capreolus, distinctione xv, quæstione i, concl. ii; Abulensis, in c. xvi. Matth. q. lxxiv; Turcremata, distinctione xxi, c. i, §. Ad iii; Ferrariensis, iv contra gentiles, c. lxxvi §. Ad hujus evidentiam; Soto, in iv, distinction. xxiv, quæstione i, art. iii; Ledesma, in iv, ii p. quæstion. xxxvi; Azor, ii p. instit. lib. iii, c. xxvii, qui plures citat ex Summistis. Et cum retulisset ibi dictum Hugonis apud archidiaconum, c. Diaconos, xciii dist. quod, episcopatum ordinem esse, nullus nisi cæcus, et inordinatus dubitat, cum specialis ordinatio habeatur in episcopo post sacerdotium, subdit Azor: « Certe miror cur sic contra theologos linguam laxaverit. Cæcus ergo ipsius iudicio erit S. Thomas, cæcus S. Bonaventura, cæcus Scotus, Richardus, Albertus, qui sentiunt episcopatum non esse ordinem, etc. » Ergo ipse Azor sit iudex in hac causa in quo sugillatur D. Thomas quod teneat opinionem quæ ita communis est apud theologos. Imo etiam si S. Thomas eam non teneret propter auctoritatem tantorum virorum ab omni censura a nobis liberari deberet. Et D. Thomas non negat episcopatum non esse ordinem si ordo sumatur pro potestate, et officio dignitatis ad aliquas actiones hierarchicas. Si autem sumatur ordo pro Sacramento ordinis, negat id convenire episcopatu, quia Sacramentum ordinis ordinatur ad sacrificium, et eucharistiam, circa quam episcopatus nihil magis habet, quam sacerdotium, sed solum circa populum. Et licet aliqui velint distingue-

re apud Div. Thomam, duo Sacramenta ordinis, unum ordinatum ad eucharistiam, aliud non, tamen hoc nullum habet fundamentum in Div. Thoma cum ideo absolute neget episcopatum esse Sacramentum, quia non ordinatur ad eucharistiam.

Certe fundamentum hujus opinionis, ita firmum est, ut mirum sit potuisse a Vazquez in tom. in iii p. disp. cccxl, c. iii, et ab aliis quos citat, notam inuri huic opinioni. Nam in primis ut fatetur Vazquez ibidem c. v, num. xlvi, ita est firmum, quod solum sint septem ordines in Sacramento ordinis, quod non est liberum de eorum numero sentire, cum jam communis scholæ sententia sit. Illos numerat Concilium Tridentinum, sessione xxiii, c. ii, et inter illos episcopatum non numerat, sed solum quatuor ordines minores, et tres majores subdiaconatum, diaconatum, sacerdotium. Episcopatus autem ad majores deberet pertinere, ut de se patet, ergo si non sunt nisi septem illi ordines, episcopatus non potest in Sacramento ordinis numerari, sed est dignitas, et officium in ordine sacerdotii. Et præterea urgetur hoc, quia si aliquis consecratur in episcopum ante sacerdotium, est irrita consecratio, quia summum sacerdotium (quod est episcopatus) sine sacerdotio non potest intelligi, ergo signum est potestatem episcopatus non se habere ad sacerdotium sicut ordo superior ad inferiorem, sicut sacerdotium ad diaconatum vel subdiaconatum, si enim quis per saltum ordinetur sacerdos sine diaconatu, ordinatio tenet, nec reordinatur, quia sacerdotium continet diaconatum eminenter. Si ergo episcopatus non se habet ut ordo superior ad inferiorem, et ut continens illum, solum se habebit ut dignitas quædam addita sacerdotio et consummans illud, non ut Sacramentum ordinis. Est exemplum in ipsa

potestate absolventi a peccatis, quæ per se solum non constituit Sacramentum sine potestate offerendi sacrificium. Unde si in ordinatione presbyteri non conferretur potestas absolventi, sed id per aliam consecrationem, et solemnitatem traderetur, talis consecratio, licet esset potestas quædam sacerdotalis, non tamen novum Sacramentum sicut distinguitur sacerdotium a diaconatu. Episcopalis autem potestas est quædam extensio illius potestatis, quam accipit sacerdos super corpus Christi mysticum, non illius, quam accipit supra corpus Christi verum in eucharistia.

Pressus hoc argumento Vazquez tandem, capit. v. numero l, eligit illam solutionem, quod episcopatus non est Sacramentum neque addit supra septem ordines, quia connumeratur sacerdotio, neque si conferatur sine sacerdotio validus est, quia non est ordo distinctus in re a sacerdotio, licet sit potestas major, seu extensio sacerdotii. Cæterum hoc ipsum et non amplius dicit sententia D. Thomæ, quando enim negat episcopatum esse Sacramentum ordinis, loquitur de illo condistincte a sacerdotio, et secundum id quod ad sacerdotium superaddit, et hoc quod superaddit ad sacerdotium dicit esse dignitatem ordinis, et officium, sed non Sacramentum ordinis nec se habet ad sacerdotium, sicut sacerdotium ad diaconatum cui superaddit aliquid, quod pertinet non solum ad dignitatem, sed ad rationem Sacramenti. Si vero sumatur episcopatus non condistincte a sacerdotio, sed cum illo, sic non loquitur D. Thomas, nec potest aliquis negare, quod includat Sacramentum ordinis, scilicet ipsum sacerdotium. Itaque illud, quod episcopatus addit supra sacerdotium, vel est Sacramentum, et ordo aliquis ultra septem illos ordines majores, et mi-

nores, vel non. Si primum, cur solum admittit Vazquez septem ordines, et non octo? Si secundo, quare impugnat D. Thomam aut ejus opinionem notat, cum Div. Thomas solum loquatur de episcopatu, ut est condistinctus a sacerdotio, et superadditus illi quando negat ipsum esse Sacramentum ordinis, licet sit ordo dignitatis?

Objicit Vazquez ex Concilio Tridentino. Nam sessione xxiii, c. iii, probat ordinem esse unum ex septem Sacramentis Ecclesiæ, quia per sacram ordinationem, quæ verbis, et signis perficitur, datur gratia. Deinde, cap. iv declarat, episcopos, qui in locum Apostolorum successerunt, præter cæteros gradus ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, et canone vi definivit in Ecclesia catholica esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris, ergo episcopatum includit in eo ordine, seu ordinatione, quam definivit esse Sacramentum, et dare gratiam, ergo periculosum est negare modo, quod episcopatus sit Sacramentum. Respondetur Concilium nusquam determinare, quod episcopatus sit ordo, qui est Sacramentum, sed ordo pertinens ad hierarchiam ecclesiasticam, quod verissimum est, quia est dignitas, et officium in ordine ecclesiastico, et dat spiritualem potestatem. Imo in canone ii illius sessionis inquit Concilium: « Si quis dixerit præter sacerdotium, non esse in Ecclesia catholica alios ordines, et majores, et minores per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur, anathema sit. » Ex quo loco formatur argumentum sic: Quando Concilium dicit præter sacerdotium dari alios ordines in Ecclesia, vel loquitur de ordinibus, qui sunt Sacramentum, vel non. Si non loquitur, ergo neque quando dicit episcopatum pertinere



ad hunc ordinem, non loquitur de ordine, qui est Sacramentum, sed qui pertinet ad dignitatem, et potestatem hierarchicam. Si autem loquitur de ordinibus, qui sunt Sacramentum, tales ordines dividuntur ibi in majores, et minores adæquate, sed episcopatus, neque est ex majoribus ordinibus, neque ex minoribus, ergo non est Sacramentum. Major exprimitur ibi a Concilio: « Si quis dixerit præter sacerdotium non esse alios ordines majores, et minores, etc. » Nec videtur inter ista dari medium, cum enim ordines inter se æquales non sint, oportet quod omnes vel sint majores, vel minores. Minor patet, quia Concilium dicit ibi quod omnes tam majores, quam minores ordines sunt velut gradus quidam quibus ad sacerdotium tendatur. Episcopatus autem non tendit ad sacerdotium, sed supponit illud, et superaddit dignitatem quamdam, nec usquam Concilium inter majores, vel minores ordines illum numerat, ergo non comprehenditur in ordinibus, quæ sunt Sacramenta. Cum ergo deinceps canone vi definit Concilium esse hierarchiam divina ordinatione constitutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris, non loquitur de ordine secundum rationem Sacramenti, jam enim de hoc tractaverat, sed in quantum dignitas est, et hierarchiam constituit, et in hac ratione intrat episcopatus, ut dignitas quædam summa.

Objicit secundo. Nam Paulus ad Timoth. iv, cum dicit: *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*, et ad ii Timoth. i: *Ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum*, hæc loca patres intelligunt de ordinatione Timothei in episcopum, Chrysostonus, Theophylactus, et S. Thomas Cajetanus et

alii super ista loca. Ex illis autem probat Concilium, sessione xxiii, capite iii, ordinem esse unum ex Sacramentis, quia dat gratiam, ut hic dicit Paulus. Ergo episcopatus Sacramentum est, alias claudicat collectio illa, et probatio Concilii. Ad hæc Ambrosius, libro de dignitate sacerdotum, capite v, fatetur per consecrationem episcopi conferri gratiam a Deo: « Quis dat frater, inquit, episcopalem gratiam? Deus an homo? Respondes sine dubio; Deus. » Ergo sentit consecrationem illam esse Sacramentum, quia dat gratiam. Deinde, imprimit characterem, quia dat potestatem indelebilem conficiendi aliqua Sacramenta, ergo debet etiam conferre gratiam, ut operationes characteris digne ministrentur, et sic est Sacramentum. Denique, quatuor minores ordines et subdiaconatus sunt Sacramentum, ut nos concedimus, ergo cum episcopatus sit superior, et a Christo institutus, et characterem imprimat ad cujus exercitium requiritur gratia, ut digne fiat, cur non erit Sacramentum?

Respondetur concedendo, quod in illo loco Apostolus loquitur de ordinatione Timothei in episcopum ut plures patres intelligunt, sed non de sola, sed etiam de ordinatione in presbyterum, utrumque enim videtur comprehendisse Paulus illis verbis. Quod non obscure alii patres indicant. Augustinus in libro quæstionum ex novo, et veteri Testamento, q. xciii, loquens de insufflatione qua datur presbyteris potestas absolvendi a peccatis, quod constat fieri in presbyteratu, non in episcopatu, inquit: « Inspiratio ergo hæc, gratia quædam est, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur; unde Apostolus dicit ad Timotheum: *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi cum*

impositione manuum presbyterii. » Intellexit ergo Augustinus hunc locum Apostoli etiam pertinere ad illam gratiam, quæ ad remittenda peccata datur sacerdotibus, et sic Paulus non de sola consecratione in episcopum, sed de ordinatione presbyteri etiam loquitur. Ad hæc Ambrosius sive auctor commentariorum in epistolas Pauli apud Ambrosium super i ad Timoth. iv: « Manuum, inquit, impositiones, verba sunt mystica, quibus confirmatur ad opus electus, ut audeat vice Domini sacrificium offerre. » Actus autem offerendi sacrificium est proprius sacerdotii non episcopatus, ergo nomine impositionis manuum intelligit Apostolus non solam consecrationem episcopalem, sed etiam ordinationem sacerdotalem. Videndus est Soto major in epistola ii ad Timoth. c. i, ubi promiscue intelligit de ordinatione Timothei in episcopum, vel presbyterum, et super i ad Timoth. c. iv, et in utroque loco Cornelius a Lapide. Usitatum enim fuit circa prima tempora Ecclesiæ, presbyteros vocare episcopos et episcopos presbyteros non quod omnium esset una ordinatione, sed quia hi simul Ecclesiæ gubernationi assistebant, de quo videri potest Baronius ad annum Christi 53, c. iii, et Cornelius ad Philippienses i, versu primo.

Sic ergo collectio, seu probatio Concilii stat firma, ex locis enim ubi Paulus loquitur de gratia data in ordinatione, colligit ordinem esse Sacramentum, non quia ibi loquitur Apostolus de sola consecratione in episcopum, sic enim inefficaciter colligeret ordinem esse Sacramentum cum non numerasset Concilium inter ordines, nec majores episcopatum, sed quia ibi loquebatur Paulus etiam de ordinatione Timothei in presbyterum, et non solum in episcopum, et sic consequen-

tia, et collectio Concilii efficax est, probatque ordinem esse Sacramentum, quia in aliqua ordinatione datur gratia, ut constat ex Paulo, ergo aliqua ordinatio est Sacramentum. Quod vero hæc ordinatio, de qua loquitur Paulus, sit episcopatus tantum, vel presbyteratus simul, ibi Concilium non explicat, sufficit supponere, quod loquatur de ordinatione aliqua dante gratiam quam nos juxta allegata dicimus non esse solum episcopatum, sed presbyteratum.

Ad locum Ambrosii respondetur loqui de gratia pro ipso munere, seu dignitate episcopali, quæ etiam beneficium quoddam Dei est, non pro sanctitate, et sic appellatur gratia laxiori significatione, quod colligitur ex verbis antecedentibus, ubi Ambrosius dicit: « Frater episcopo cum dares pecuniam quid accepisti? Gratiam episcopalem accepi; » ubi non loquitur de gratia sanctificante, quæ pecuniis non posset accipi; sed de gratia pro munere, seu dignitate episcopali, de qua subdit: « Episcopus initiat ordinem, sed Deus tribuit dignitatem, etc. »

Ad illud de impressione characteris dicitur ex Div. Thoma in iv dist. xxiv, quæst. iii citata quod per episcopatum non imprimitur novus character, sed sacerdotalis extenditur, non pro ea parte qua ordinatur ad offerendum sacrificium, sed pro ea parte qua dat potestatem super populum, et super corpus Christi mysticum, extenditur enim in episcopo, ut non solum absolvere a peccatis in Sacramento pœnitentiæ, sed etiam confirmare possit, et ordines conferre, et plene regere populum Dei. Unde non oportet quod, ut condistinguitur a sacerdotio sit Sacramentum ordinis, sed solum consummativa quædam potestas, et dignitas sacerdotii. Nec



pro tali extensione characteris est necesse, quod illa consecratio det gratiam ex opere operato, sed opere operantis. Ad illud de minoribus ordinibus, dicitur quod tam illi quam subdiaconatus numerantur a Concilio inter septem quibus integratur Sacramentum ordinis, quia per illos ad sacerdotium ascenditur, canon. II. Episcopatus vero non ordinatur ad sacrificium, neque ad sacerdotium, sed illud supponit, et solum ordinatur ad corpus Christi mysticum, circa quod specialem potestatem ordinis accipit, non Sacramentum ordinis.

DECIMA PROPOSITIO : IMAGO CHRISTI  
NON EST ADORANDA ADORATIONE LA-  
TRIAE, VEL HUMANITAS CHRISTI.

Hæc propositio in utraque parte sui manifestum mendacium est, cum oppositum expresse teneat S. Thomas. Nam III par. quæstion. XXV, art. III, ubi loquitur de imagine Christi sic dicit: « Imagini Christi in quantum res quædam est, puta lignum sculptum, vel depictum nulla reverentia exhibetur, quia reverentia non nisi rationali naturæ debetur. Relinquitur ergo, quod solum exhibeatur eire verentia in quantum imago est, et sic sequitur, quod eadem reverentia exhibeatur imagini Christi, et ipsi Christo. » Cum ergo Christus adoretur adoratione latriæ, consequens est, quod ejus imago sit adoranda adoratione latriæ. De humanitate etiam Christi, quod sit adoranda adoratione latriæ, expresse affirmat Div. Thomas eadem quæstione, art. II. Manifesta ergo falsitas est oppositum attribuere D. Thomæ, imo omnes auctores, qui de hac materia tractant, et referunt duas opiniones, alteram affirmativam, quod imago Christi sit adoranda ado-

ratione latriæ, alteram negativam, pro prima afferunt, et citant D. Thomam ut videre est apud patrem Suarez ibi, id est, I tomo, III part. disputatione LIV; Vasquez, disputatione CVIII, capit. X; Gabriel super eandem quæstionem III; Lorcam, disp. XCIV, et alios.

Quare potius subit mihi suspicio, voluisse auctorem illius libelli supplicis objicere D. Thomæ, non propositionem negativam, quod non sit adoranda adoratione latriæ, id enim palmaria falsitas est, sed potius affirmativam, quod sit adoranda. Nam contra hoc communiter objiciunt auctores oppositi auctoritatem VII Synodi in actione VII, quam etiam allegat auctor ipse libelli supplicis et adeo efficax visa est aliquibus, ut refert pater Suarez, disp. LIV citata, section. IV, ut existiment non vidisse D. Thomam illam Synodum, quia fortasse nondum erat in Latinum translata, cujus signum est, quia nullam de ea facit mentionem in hac materia. Quod si vidisset, multo aliter de adoratione imaginum locutus fuisset. Est autem definitio Concilii: « Qui imagines contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivam eorum memoriam, et desiderium, et ad osculum, et ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam quæ secundum fidem est, quaque solam divinam naturam decet, impartendam. » Ergo dicere, quod latria debetur imagini Christi est contradicere definitioni Concilii. Et idem habet Damascenus, libro de hæresibus prope finem aliique sancti patres.

Nihilominus Div. Thomæ sententia valde communis est inter doctores. Et specialiter a calumnia illam vindicant cardinalis Baronius, tomo IX, anno Christi 789, num. XLII; Suarez, et Cabrera locis citatis; Lorca, in III disp. XCIV, num. LXI;

Vasquez, disput. CIX, cap. III. Et communis expositio Concilii est, quod negat exhiberi latriam imaginibus absolutam, et per se quasi ali-quod iis numen, seu divinitas insit, aut fidem in eis ponere debeamus, sed adorationem latriæ respectivam, et propter aliud quam Concilium vocat honorariam, et Epiphanius ibi citata actione VI, simplicem. Latria enim absoluta, et per se talis est, quod cui datur, divinitatem habet, et numen, in eo fidem, seu fiduciam reponimus, adoratio autem simplex, seu respectiva, aut honoraria (vulgo de respectu) non est talis, quod in ea fiduciam ponamus, aut aliquid divinitatis, seu numinis, sed solum representatio principalis prototypi honoratur. Unde Tharadius patriarcha in eadem Synodo action. II: « Imagines, inquit, has adoramus, sed apertis verbis testamur nos dumtaxat in unum Deum verum latriam et fidem nostram referre, ac reponere. » Et universa Synodus respondit: « Universa Synodus sic credit et sic docet. » Latria autem, et adoratio, quam Div. Thomas tribuit imaginibus non est talis, quod in imagine aliquid numinis credat, vel in ea fidem, seu fiduciam ponat, sed ob nudam representationem dicit eas adorari: ergo talis ponitur a D. Thoma qualis a Concilio. Et hoc ipsum sancta Synodus Tridentina explicavit sessione XXV, decreto de reliquiis, et imaginibus, ubi ipsum septimæ Synodi decretum renovans, juxta D. Thomam sensum videtur illud explicasse, ait enim: « Imagines Christi, et Deiparæ Virginis, et aliorum sanctorum in templis præsertim habendas, et retinendas, eisque debitum honorem, et reverentiam impertiendam, non quod credatur inesse aliqua iis virtus, vel divinitas propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum,

vel quod fiducia in imaginibus sit figenda veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant. » Subditque id ipsum decretis Concilii II Nicæni esse sancitum. Quid ergo in hac materia egenus testibus? Nam Concilii Tridentini testimonium majus omnibus est. Eo autem explicatur decretum Synodi Nicænæ, quod noluit tribuere imaginibus latriam, quasi in ipsis aliquod numen, aut virtus insit, bene tamen, quod honor, qui ipsis exhibetur, referatur ad prototypa, certum est autem, quod ad prototypum, qui est Christus non fertur nisi latria, ergo honor, seu adoratio, quæ imaginem tangit, et ad prototypum transit latria est, respectiva tamen et honoraria, et hoc est D. Thomæ assertum. Quare an D. Thomas viderit acta septimæ Synodi, vel non viderit, ergo nescio, nec nisi divinando sciri potest; quod vero scio, est Concilium Tridentinum vidisse Div. Thomam, et explicationem, quam tribuit decretis Nicænæ Synodi esse juxta Div. Thomæ sensum.

UNDECIMA PROPOSITIO : CLERICUM SI  
OCCIDAT ALIQUEM SE DEFENDENDO  
INCURRERE IRREGULARITATEM.

Sic D. Thomas sentit 2-2, quæst. LXIV, artic. VII, et sic sentiebat tunc Ecclesia, ut patet ex decreto Nicolai Papæ, quod ibi in argumento tertio adducit D. Thomas. Corripuit vero hoc jus antiquum, et revocavit Ecclesia, hanc irregularitatem in Clementina unica de homicidio. Quomodo ergo D. Thomas potuit negare, quod incurrebatur irregularitas si suo tempore nondum erat ablata per Ecclesiam, sed